



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 127. Libelli in quadam Congregatione particulari oblati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. nasteriensis, Vigorniensis Prior, & Vari-
A. C. 1414. censis Comes.

§. CXXVII.

Libelli in quadam particulari Congregatione oblati.

B20v. ann.
1414. p. 382.
col. 2.

Die septima Decembris habita est Cardinalium Congregatio, in qua unionis ac reformationis negotium ingenti ardore agitatum fuerat. Nonnulli Cardinales Itali Joannis obedientiæ addicti primum porrigebant libellum, Cardinalis Cameracensis alterum, & tertium denique reliqui Cardinales. Priores postulabant Concilii Pisani confirmationem atque illius executionem, hacque via non parum Pontificis commodo consulebant, utpote qui ipso hoc facto electionem ejus approbari postulabant, quod Joannes unice in votis habebat. Ast Cardinalis Cameracensis, qui abs dubio de scriptis Italicorum petitis secretam habebat notitiam, in suo libello docebat, ex eo quod Pisanum Concilium in omnium sententia legitimum, pro unico fine sibi præfixisset unionem Ecclesiæ hucusque non obtentam, omnes Prælatos, ac ipsum quoque Pontificem non solum vi Pisanæ hujus Synodi, sed ex ipso naturali & divino jure obstrictos esse, ut cuncta promovea-

movendæ hujus unionis media, eaque Sæcul. XV.
A.C. 1414.
magis opportuna inquirerent; eos vero, qui contrariam tuerentur sententiam, eo ipso schisma nutrire, fore convictos. Quibus subjunxit, Concilii Constantiensis auctoritatem nullatenus a Pisano dependere, nec opus esse, ut illud ab isto confirmaretur. Scriptus est libellus iste prævio quorundam Gallorum Præsulorum consensu, quibus clandestina Joannis Papæ molimina ad dissolvendum Concilium excogitata, optime perspecta erant. Tertius denique libellus nil nisi meram complectebatur Satyram, in qua mores, ac Joannis vita tacite carpebantur, seu potius erat schema omnium boni Pontificis obligationum, eo artificio expositarum, ut legentes facile intelligerent, Joannis XXIII. vitam moresque illis e diametro oppositos esse.

§. CXXVIII.

Alia Congregatio de unionis negotio.

Mense Decembri ad medium vergente alia adhuc habebatur Congregatio, *Vander
Hardt tom. 2
p. 193.* in qua idem unionis negotium iterum agitari cæpit. Cum vero plurium Cardinalium sententia eo abiret, ut juxta Pisani Concilii mentem in Petrum de Luna & Angelum Corarium ibidem legitime exauctoratos ulterius legibus procederetur;